DE GLORIOSISSIMA CHRISTI DOMINI RESURRECTIONE ORATIO HABITA 6. ID. APRILIS 1738. IN...

Giovanni Francesco Enea Preziosi, Valenti Gonzaga



ORATIO.



SI moriente Domino, omnia planctibus, gemitibusque circumsonabant, neque ullus tàm ferreus erat, qui posset in tanto casu non flere, non ingemiscere, non commoveri: eam nunc doloris acerbitatem novum excipiat gaudium, lætisque de Cœlo nunciis exultantibus desinant luctus, & conticescant lamentationes. Surrexit enim desiderium collium æternorum, ac cunctis gentibus Desideratus surrexit. Redivivus apparuit Christus Jesus, & regnum ejus, quod Pax summa est, Pax quidem Dei, quæ exuperat omnem sensum, omnemque hominum co-

Gen. 49.
Agg. 2.
Rom. 14.
Philip. 4.

gitationem, quantacumque tandem illa sit. Gratulemur itaque nobis hanc tantam felicitatem, qua nos gloriosa Christi resurrectio cumulavit. Pacem, inquam, pacem gratulemur, quam ipse hodie Discipulis suis, & universo Christiano orbi annunciavit. De qua mihi liceat pauca dicere, dum vobis plura cogitare continget.

Psal. 117. Cum multa, magna, atque præclara nobis sunt in hac die, quam fecit Dominus, divinitus impertita, tum illud omnium opportunissimum, quod mortis *Chrysol. de Resurr.* victor, triumphatorque trophæum Christus statuit præclarissimum, Crucisque merita colligens, unius hæc pacis nomine in nos congerit universa. Quam porro pacem hanc esse credimus, nisi eorum, quibus nos Christi resurrectio donavit, quoddam veluti non complementum minus, quam cumulum? Pax enim hæc illa est, efflagitata jampridem, & expectata semper a bonis omnibus: Pax, inquam, illa, quæ durissimum a nobis jugum æternæ servitutis depulit, & primæva non solum jura plenissime cōfirmavit humanitatis, sed visa est etiam nos in ipsam transformare divinitatem. Hæc aurea illa ca-

tena eſt, quæ cum caducis æterna, cum mortalibus immortalia conjungens, præpotenti nos rerum Domino ſic mirifice copulavit, ut ſempiterna cum ipſo & amicitia, & quadam veluti unitate conjunctiſſime teneamur. Quidni ita exiſtimaverim? Deletum non adhuc erat aut chirographum mortis, aut peccati ſtipendium: nondum erant in cruce juſtitia, & pax inter ſeſe oſculatæ: Jeſum tamen cum Patre audivimus ſic pro nobis magnifice colloquentem: Ego claritatem, quam dediſti mihi, dedi eis, ut ſint unum, ſicut & nos unum ſumus: ego in eis, & tu in me, ut ſint conſummati in unum. Quanto nos ergo verius hac unitate gloriari oportet in Chriſto Jeſu, qui ubi vita refloruit ſempiterna, & mortem noſtram morte ſua delevit, & opus juſtitiæ pacem nobis obtulit immortalem? Quid vero ſi non modo pacem, ſed pacis etiam abundantiam eſt impertitus? Nam qui tum alias ſemper, tum nunc potiſſimum magnificus in ſanctitate fuit, magnificus & in pace voluit honorificentiſſime prædicari. Ac quemadmodum non ſolum plena, ſed copioſa quoque fuit apud eum redem-

Pſal. 84.

Jo: 17.

Iſa. 32.

Pſal. 129.

ptio-

ptio, ita id nobis ejus obtulit reſurre-
ctio, ut non modo in plenitudine pa-
cis, ſed etiam in multitudine delecte-
Jo: 17. mur. Pacem, ait, & pacem ſuam ſe no-
bis dare, pacem relinquere: perinde quaſi
vel unius nos pacis nomine ſat beatos
non effeciſſet, vel in ejus partem beati-
tudinis advocaret, ubi cœleſtium animis
per univerſam æternitatem pax perfruen-
da proponitur, cujus nunquam eſt ſuavi-
tas interitura. O diem itaque lætitiæ ple-
num, & a Domino vere factum! O nos
felices, & ſupra quam aut dici poſſit,
aut cogitari, beatos, ſi tales in omni vi-
tæ ſtatu fuerimus, ut amor cordium no-
ſtrorum Jeſus ſuam nobis pacem imper-
Aug. tract. tiri non dedignetur! Pacem vero ſuam,
77. in Jo: ut Auguſtinus ait, eam voluit intelligi,
quam habet ipſe; quippe nihil in ſe repu-
gnat, qui nullum omnino peccatum ha-
bet. Pacem ſuam eam voluit intelligi,
quam habet ipſe, qui mortalis adhuc
dum viveret, nullo unquam vel metu
concuti, vel turbari dolore potuit, quia
Matt. 11. mitis, & humilis corde, quia patientiſſi-
Iſa. 53. mus vir dolorum. Pacis itaque noſtræ
cuſtos, & adminiſtra patientia ſit: ani-